Carm. Disc. Phil. stud. in Conventu SS. Michaëlis et Joseph Cracoviae: Ens mobile ad mentem angelici et Ecclesiae Doctoris D. Thomae ex VIII libb. Physicor. decerptum.

ENS MOBILE

Ad mentem Angelici & Ecclesiæ Doctoris D. THOMÆ Aquinatis

Ex octo Libris Physicorum decerptum.

A

FF. CARMELITIS DISCAL: PHILOSO: Studiosis in Conuentu SS. Michaëlis & Ioseph Cracouiæ Publico certamini

EXPOSITVM.

Anno Sanctissimi Iubilæi 1650. Mense Iunij Die 26 hora 2 post Meri.

CRACOVIÆ,

In Officina Valeriani Piątkowski.



In Stemma Illustriß: Domus Gembicianæ.



CAndida sphæriacos imitatur FASCIA gyros;
Insignes cælo copulat ORBE Viros:
An quia iustitiæ præcingit lumina? factis
Immortalis eras FASCIA pulchra Tuis,
Prædicat ergo Domus GEMBICI CIRCULUS iste
Famam principio, fine carere Tuam.

Illustrißimo ac Magnifico Domino,

D. LAVRENTIO GEMBICKI,

PALATINIDÆ LECICENSI, Canonico Cracou. &c. &c.

Domino ac Benefactori munificentißimo,

Fres Carmelitæ Discalceati Philosophiæ Stud: Perpetuam felicitatem.



Nnatum est laureatæ Palladi, à magnis magnum mutuare Nomen Heroibus, Mecænas Illustrißime. An Carmelitici quia Parnaßi Domina est? Vbi nostris latere non apparere, subijci non regere, laudis est musis; nec volunt scientiæ gloriari nisi sub magnis Illustrium Patronorum Nominibus? Ita est Fasciata voluit in Philosophicum descendere Pallas certamen; quia,

FA-

servit laudi singulariter.

FASCIBVS à magnis FASCIA nomen habet.

Hinc fortaße sapientia non sub alia tutela nisi sub gloriosissimo Vestræ FASCIÆ *candore non gloriari infans, sed tueri appetijt. Poterit ergo tabefiriari infans, sed tueri appetijt. Poterit ergo tabefi-cos Carmeliticus delere Parnaßus errores, & vulneribus pro incruenta veritate in palæstrata acie susceptis mederi, ab interituq; famam sapientiæ vindicare; qui ideo fasciatus est, vt poßit Tuæ ligaturis* FASCIÆ, *& beneficijs. Tuis conuictos, ad Tui Nominis Triumphum, & hostes captiuare.*

ASSERTIONES
Ex octo Libris Phisicorum.

ENS mobile (sumpto ly mobili radicaliter) quod idem est secundum rem cum substantia & corpore naturali, est obiectum adæquatum Phisices, tam secundum rem quàm secundum meliorem expresionem. Substantia vero naturalis ac corpus naturale, etsi sint Obiectum illius secundum rem, non tamen secundum meliorem expresionem.

2. PRima principia Entis naturalis vt abstrahit ab incorruptibili & corruptibili ab Aristotele definita: ea sunt quæ nec fiunt ex alijs neq; ex alterutris, sed omnia fiunt ex ipsis; numerâturq; in fieri tria Materia Forma & Priuatio, & in facto esse duo Materia scilicet & Forma. Ex quibus Forma & Priuatio nō solum contraria verùm etiam sunt prima contraria.

3. MAteria quæ est primum ex supra enumeratis. Entis naturalis principium, definita est ab Aristotele per hoc, quod sit primum subiectum vniuscuiusq; ex quo aliquid fit cum insit; nō secundum accidens. Quæ ita est pura potentia, vt nullum afferat ex se actum tàm formalem quàm Entitatiuum, nec existentiam partialē.

4. VNde prouenit omnem illius existentiam prouenire à forma substantiali, sine qua etiam per Diuinam potentiam existere non potest. Vnitas quoque illius tam numerica positiua quàm specifica ab eadem forma substantiali desumitur, licet vtramq; negatiuam ex se afferat.

5. EAdem Materia prima habet appetitum, ad formã substantialem: nõ quidem elicitum, (vt pote expers cognitionis) sed innatum. Qui respectu formæ habitæ est complacentiæ: respectu verò formæ habendæ est desiderij. Indeq; sortitur insidiatricis nomen. quia cum sit radix omnis corruptionis, in se tamen ingenerabilis & incorruptibilis perseuerat.

appetit9 2plex

6. OMnes formæ substantiales, exceptâ anima rationali, (quæ creatur) formis cælorum & Elementorum (quæ in prima sui productione concreatæ sunt) educuntur de potentia materiæ. Quorum educi consistit in hoc quod est contineri eas in materia, & fieri ex vi actionis transmutantis ipsam. Definitio quoq; formæ substãtialis quod sit actus primus corporis est bona

7. FOrmæ verò accidentales tam naturales quàm supernaturales educuntur de potentia subiecti, licet illæ quæ in instanti eductionis cum subiecto per se nectuntur non tàm educi quàm coeduci dicuntur.

8. Im-

8. Implicat contradictionem duas formas substantiales esse simul in eadem portione materiæ, sicut & vnam formam duplicem materiam informare Priuatio, quæ est verum Entis naturalis principium, cõuenit cum materia & forma in ratione principij, Analogiâ proportionalitatis non verò proportionis.

9. COmpositum substantiale constans essentialiter & intrinsece materiâ & formâ, non distinguitur à suis partibus simul sumptis & vnitis: nisi ratione ratiocinata; Partes autem illius vniuntur inter se mediante vnione ab eis realiter modaliter distincta quæ licet formaliter in se sit multiplex realiter tamen & Entitatiuè est vnica.

10. NAtura definitur ab Aristotele quod sit principiũ motus & quietis eius in quo est primò per se & non secundum accidens: quæ definitio competit non solum materiæ primæ verum etiam & formæ substantiali quatenus ambit Rationalem, vt pote in ratione naturæ perfectissimam. Compositum tamen Substantiale non tam dicitur natura quam à Natura. Ars non potest efficere opera naturæ per veram efficientiã, sed aliqualiter tantum applicando nimirum actiua passiuis.

11. CAusa est id ex cuius esse sequitur aliud Diuiditurque adæquatè in Materialem Formalem Efficien-

tem & Finalem. Quarũm effectus aliquando est perfectior aliquando verò eiusdẽ perfectionis cum ipsis, semper tamen est posterior: Qui si sumitur secundum illud esse, quod habet à causis intrinsecis distinguuntur realiter modaliter ab ipsis; Si verò secundum totũ suum esse quod habet accipiatur, tunc reali Entitatiuâ distinctione separatur à qualibet.

12. CAusa Efficiens definitur quod sit id à quo primò incipit motus diuiditurq; in Principalem & Instrumentalem. Principalis causa respectu productionis substantiæ non potest esse accidens sed semper est substantia, benè tamen causa instrumentalis nõ solum dispositiua & materialis; Inde tamen non sequitur substãtiam esse immediatè operatiuã quod implicat sed tantum radicaliter: quandoquidem neq; immediatè neq; medijs accidentibus & per actionem aliquã distinctam confortat influxum accidentiũ in productione substantiæ; Neq; media actione distincta ab actione generãtis producit à propria essentia dimanantes passiones. Hæc tamen productio non est vera actio sed emanatio consistens in ordine quo exeunt passiones depẽdenter ab essentia & ab inuicem ex vi vnius & eiusdem actionis Generatiuæ. Et propterea non dicitur essentia principiũ productiuũ rigorosum suarum passionum, sed lato modo &

do & deficienter. Accidens tamen respectu sibi similis accidentis potest esse causa principalis. Cuius causalitas in actu secundo sicut & cuiuslibet causæ efficiẽtis melius exprimitur per agere quàm per actionem.

13. Causa secunda necessaria non solum in suo esse verum etiam in operari est dependens immediatè à Deo, ad quam dependentiam non sufficit concursus simultaneus, sed indispensabiliter requiritur concursus præuius; siquidem non solùm à causa prima iuuatur in operando verum etiam præmouetur ad operandum: Et hoc tam ex Mente Aristotelis quàm ratione conuinci asserimus. Duæ causæ totales & eiusdem ordinis tam simul, quàm diuisim, non possunt producere vnum numero effectum, etiam per absolutam Dei potentiam.

14. Instrumentum non operatur nisi inquantum est motum à principali Agente habetq; actionem pręuiam ad actionem Principalis agentis, respectu cuius cõparatur non vt Instrumentale sed Principale agens. Datur Fortuna & Casus in rebus sublunaribus & in orbibus Cælestibus & Angelis respectu effectuum qui contingunt in inferioribus. Fatum quoq; Catholicè intellectum dari ~~asserimus~~ concedimus: quod quidem, si comparetur ad suum principium est vnicum, si vero ad suos effectus tunc multiplex esse asserimus.

15. FInis est vera causa realis & Physica Quę definita ab Aristotele Finis est cuius gratia aliquid fit. Constituitur in ratione causæ per realem bonitatem, cuius bonitas secundum suum esse reale mouet appetitum: ad quod apprehensio non nisi vt conditio sine qua nõ, requiritur. causalitas autẽ Metaphysica illius est actio voluntatis prout à fine.

16. MOtus est actus Entis in potentia prout in potẽtia, quæ definitio non solum motus successiuos, sed etiam mutationes instantaneas, quæ sunt actus imperfecti comprehendit. Motus in Mobili tamquam in subiecto recipitur distinguiturq; à Termino realiter formaliter & secluso intellectu. Habet se per modum subiecti quo respectu Actionis & Passionis, & ideo nõ est essentialiter superior ipsis, sed omnes hæ formalitates in vna Entitate saltim modali motus identificatæ formaliter inter se distinguuntur: Actio transiens ex mente Aristotelis & D. Thomæ, necnon secundum rationem subiectatur in Passo non vero in agente.

idẽ à pte rei

17. INfinitum secundum essentiam, magnitudinem, numerum, intensionem, non solum naturaliter, sed etiam per Diuinam potentiam produci repugnat; licet data quacunq; Creaturâ posibili posit D E V S aliam, & aliam perfectiorem vsq; in infinitum producere. Si tamen

men per impossibile infinitum inueniretur tam secundum magnitudinem, quàm secundum numerum, tunc licet secundum rationem formalem non inueniretur maius altero, benè tamen secundum rationem materialẽ.

18. LOcus est superficies vltima corporis cõtinẽtis immobilis primi. In qua definitione superficies nõ est verum genus ab immobilitate contractum, sed solũ habet se per modum subiecti respectu sui accidentis Locus naturalis vltra propriam rationem addit qualitatẽ conseruatiuam locati. In quo primum mobile non est actu etiam per accidens seu ratione partium, sed solum in potentia, tã secundum totum suum esse quàm secundum esse partium consideratum. Implicat vnum & idẽ corpus esse simul in duobus locis circumscriptiuè, non tamen plura corpora in eodem loco.

19. IMpossibile est tam naturaliter quàm virtute aliquâ creatâ dari vacuum; licet hoc Diuinę potentiæ non repugnat: posito tamen illo tunc motus per illud facti fierent in tempore, non in instanti.

20. TEmpus, quod est numerus motus secundum prius & posterius, distinguitur ab æternitate & æuo penes hoc, quod sit duratio rei mutabilis tam secundũ esse quàm secundum accidentia. Rursus distinguitur realiter à motu & quæuis duratio à re durante. Nullã

habet existentiam ratione partium, sed solum ratione instantis indiuisibilis existit In ratione mensuræ est vnũ numero, at secundum rationem essentialem multiplicatur ad multiplicationem motuum in quibus est eoq; omnes substantiæ corruptibiles mensurantur.

21. Ad tria prædicamenta datur per se motus, nempe Quantitatem, Qualitatem & Vbi, ad reliqua verò non; Qui vnitatem specificam desumit à termino ad Quem & medio formaliter sumptis: Numericam verò ab vnitate Mobilis termini & temporis. Contrarietas verò Motuum formaliter desumitur à contrarietate terminorum ad quos & medij; materialiter verò & consecutiuè à terminis à quibus. Vnum autem & idem Mobile non potest simul & per se moueri duobus motibus contrarijs etiam in gradibus remissis.

22. IN continuo dantur vera indiuisibilia tam continuatiua quàm terminatiua, non tamen ex eis continuum componitur. Sed insuper ad sui constitutionẽ requirit actu partes, quarum aliquotæ sunt finitæ proportionales verò sunt infinitæ non quidem actu sed in potentia. Vnde non potest in eis actu signari pars prima vel vltima.

24. DVo communiter á Philosopho asignantur termini inceptionis & duo desitionis. Inceptionis sunt

Pri-

Primum sui esse & vltimum non esse desitionis verò Primum non esse & vltimum sui esse. Res succesiuæ & qualitates materiales in fieri incipiunt per vltimum nõ esse & desinunt per primum non esse. Indiuisibila verò succesiuorum, sicut & qualitates materiales in facto esse, incipiunt per primum sui esse & desinunt per vltimum esse. Substantiæ verò corruptibiles vtroque modo incipere & desinere possunt.

24. IN animata non minus quàm viuentia, habent ex natura sua terminos suæ magnitudinis & paruitatis, qui quatuor à Philosophis numerantur. Magnitudinis duo, nempe maximum quod sic, & minimum quod non. Paruitatis etiam alij duo, nempe minimum quod sic & maximum quod non.

25. INter mouens & mobile necessariò debet esse realis distinctio, vnde grauia & leuia non possunt à seipsis sed à generante per se moueri. Ad hoc autem vt causa efficiens attingat effectum, necessarius est contactus pasi non solum virtutis, sed etiam suppositi.

26. MVndus secundum fidem de nouo incepit. Qui tamen potest cum solo DEI ordinario concursu in perpetuum à parte post durare. Potuit quoque esse ab æterno, secundum aliquam creaturam, imò se

cundum generationes, & córruptiones, vnicâ exceptâ propagatione Humana.


27. ET quia doctrina Entis Mobilis eò tendit vt per eam deueniatur in cognitionem primi Motoris. Ideò rectè Aristoteles ex motu collegit dandum esse primum Motorem Immobilem vnicum simplicissimum Æternum Immensum Infinitum ac infinite perfectum.

Cui gloria Honor sit
in æternum
A M E N.








Biblioteka Jagiellońska
stdr0017759